

» restitueret. Assenserit ne, an obstinatior sit factus, cui notius
 » quam B. V. cui verba dedit ipse ejusque socii. Dum querunt
 » frivolis cavillationibus rem trahere usque adeo, ut nunquam post-
 » hac vestra sanctitas dignum habuerit de cuius pace veniaque
 » verbum ad nos faceret. Sumptum igitur bellum est, quod quidem
 » omnipotens et justissimus Deus justiciae nostrae bene conscius
 » summis ubique favoribus est prosecutus: sed plura de voluntate
 » nostra rectitudineque animi quam necesse est, vel quia tractata
 » manibus S. V. omnia sunt, vel quia perspicua jam facta non
 » italis modo, sed exteris etiam nationibus. Quod autem, B. P.
 » hortamini nos ad pacem impraesentia, cum jam ad finem belli
 » sit ventum; utinam id in gratiam B. vestrae facere liceret ea cum
 » dignitate et status nostri incolumitate, qua initio non solum vo-
 » luimus, sed maxime etiam concupivimus. Verum dignetur pro-
 » aequitate, pro bonitate, pro justicia denique sua non ad id tan-
 » tum quod optant alii, quam ad ea etiam animadvertere quae
 » justiciae sint consentanea. Nam si ante bellum exortum haec ad
 » pacem efficax emanasset invitatio; facile quidvis extitisset; pa-
 » rum negotium fuisset integra re deducere nos ad oblivionem
 » injuriarum illatore poenitente, quas divina lege et instituto ma-
 » jorum nostroque facile semper potuimus ex animo delere. Sed
 » post absinthiam tantam vim auri, quantam nec ipsa valet Fer-
 » raria, quantumvis insignis habeatur; post innumerabiles eosdem-
 » que praestantissimos cives amissos, hostem pertinacissimum ob-
 » sessum moenibus: quid aliud est hortari nos ad pacem, nisi ex-
 » torta nobis de manibus ipsa victoria, derisui nostrum dominium
 » ad libidinem hostium toti mundo tradere? hostemque in visce-
 » ribus nostri status haerentem ex insano insanissimum reddere?
 » Et quoniam B. V. turcorum mentionem facit, profecto cum eo
 » in bella XX. per annos vexaremur, sustineremusque humeris
 » christianorum periculorum totam molem, fessi autem diurni-
 » tate belli et potentissimi hostis copiis exercitibusque, opem quae-
 » reremus, nunquam conspirasse vidimus Italianam ad auxilium